

Ad haeresim refertur apostasia, quae est totalis defectio a Fide christiana. De ea igitur, sicut de haeresi formali, statuendum.

209. **Principia.** — I. Haeresis *formalis* est semper gravissimum peccatum, sicut ipsa infidelitas. Ratio est, 1<sup>o</sup> Quia virtus Fidei utpote theologica, est una ex praecipuis virtutibus, et proinde peccatum ipsi directe oppositum unum est ex gravissimis. 2<sup>o</sup> Fides est fundamentum iustitiae, sine qua *impossibile est placere Deo*; ergo haeresis, expellendo Fidem, privat hominem omni iustitia. 3<sup>o</sup> Quia haeresis est contemptus auctoritatis Dei revelantis; et sic est directe et immediate contra Deum.

II. Haeresis *pure materialis* vacat omni culpa. Ratio patet ex eius definitione: supponitur enim quispiam hic et nunc errare ex ignorantia invincibili veritatis; peccatum autem cum tali ignorantia est impossibile. Ergo, etc.

210. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quaenam sint signa haeresis materialis et formalis?*

*Resp. ad primum.* Censendus haereticus materialis tantum, 1<sup>o</sup> Qui paratus est se submittere iudicio Ecclesiae, quando errorem agnoverit. — 2<sup>o</sup> Qui de vera Fide nihil cognovit et de sua Religione nunquam dubitavit. — 3<sup>o</sup> Qui dubitans, cognoscere studuit veritatem, quantum potuit.

*Resp. ad secundum.* Haereticus formalis reputandus est 1<sup>o</sup> Qui dubitat nec vult ulterius inquirere. — 2<sup>o</sup> Qui avertit malitiose intellectum a motivis auctoritatis, ut suae sectae adhaereat (5). — 3<sup>o</sup> Qui, agnita veritate, adhuc contradicit Ecclesiae.

(5) Ad formalem haeresim, ut infr. q. 3. dicitur, assensus pertinax requiritur contra fidem, idest contra veritatem, quae uti revelata cognoscitur. Porro qui mere dubitat, sitne quidpiam revelatum, non habet pertinacem illum assensum, utcumque inquirere negligat, imo et intellectum ab iis, quae possent ad veritatem agnoscendam adducere, culpabiliter avertat. Praemissa ergo A. verba accipienda sunt latiori quodam sensu; aut certe intelligenda sunt de homine ita comparato, ut etiamsi veritas menti eius affulgeat, obfirmatum tamen animum gerat in falsa secta sua perseverandi.

Conf. De Lugo (*De Fid.* disp. 20. n. 197. seqq.), qui egregie ostendit, eum quoque, qui vel affectet ignorantiam, sive

circa Ecclesiae definitiones dogmaticas, sive etiam circa infallibilem Ecclesiae in definiendis controversiis auctoritatem, utique haereticum esse, si eo animo est, ut etiamsi constet de Ecclesiae tum auctoritate tum definitionibus, nolit a sua opinione dimoveri, et interim velit haec ignorare sive ut remorsum vitet, sive ut habeat excusationem; secus vero, si ignorantiam ideo affectet, quia non auderet alioqui se auctoritati Ecclesiae opponere, et interim vult ignorare, ut sine obstaculo opinioni suae adhaereat. Ratio discriminis est, quia in casu hoc postremo peccat sane homo et quidem gravissime contra praeceptum fidei, quod tamen peccatum consociari potest cum voluntate credendi, si doctrina revelata sufficienter ipsi proponatur; secus

**QUAER.** 2<sup>o</sup> *An sit haereticus formalis qui dubitat de aliquo Fidei articulo?*

*Resp. Affirm.* Ratio est, quia ille qui dubitat, deliberate suspendit assensum intellectus circa veritatem, quam scit esse a Deo revelatam (6), seu iudicat esse incertum quod Deus iubet credere ut certum; ergo deficit a Fide, negando summam Dei veritatem et Ecclesiae infallibilitatem.

**QUAER.** 3<sup>o</sup> *An sit haereticus formalis qui Fidem externe tantum negat?*

*Resp. Neg.* Nullo enim modo est haereticus, quia in eo non est assensus pertinax contra Fidem et proinde in foro conscientiae haeticorum poenas non incurrit, quamvis graviter peccet contra praeceptum Fidei.

*Vide plura de haeresi in Tract. de Censuris, ubi etiam dicitur de prohibitione librorum, necnon de Indice.*

## CAPUT II.

### DE SPE

211. — Spes est virtus supernaturalis, per quam certa cum fiducia ex Dei promissione expectamus futuram beatitudinem, et media ad illam consequendam.

Obiectum *materiale* Spei primum est Deus possidendus, iuxta illud *Gen. 15. 1: Ego ero merces tua magna nimis.* Obiectum vero secunda-

vero in casu praecedenti, cum voluntas supponitur non credendi revelationi utcumque sufficienter propositae. Atqui pertinacia contra fidem tunc adest solum, quando voluntas parata est assensum negare revelationi sufficienter propositae. Ergo formalem haereticum habemus utique in priori casu, non item in posteriori.

(6) Aliter vero dicendum de eo, qui dubitet, an quidpiam sit revelatum; quippe qui ne posset quidem circa id fidei actum elicere, ut constat etiam ex Prop. 21<sup>a</sup> damnata ab Innocentio XI: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Peccabit hic igitur contra praeceptum fidei, si advertens necessitatem inquirendi, de veritate non inquiret; nam fidei praece-

ptum sicut ad credendum obligat, ita ad discendum, atque adeo ad inquirendum: non tamen est haereticus, cum nulla sit pertinacia contra perspectam revelationem. Unde inferri potest, eorum plerosque, qui sunt extra Ecclesiam, reos utique esse posse neglectae circa fidem inquisitionis; at non ita facile formales haereticos esse censendos.

Atque hinc ratio quoque patet damnationis Prop. 4<sup>ae</sup> ab eodem Innoc. XI: *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.* Etsi enim infidelis ad credendum non teneatur, quamdiu revelatio ipsi non apparet evidenter credibilis; attamen nequaquam eximi a culpa potest, quod prudentem in re tam gravi suspicionem, atque adeo gravem inquirendi obligationem contempserit.

rium sunt omnia media ad beatitudinem consequendam necessaria ut remissio peccatorum, gratia Dei per merita Christi, etc... (1).

Obiectum autem *formale* Spei est bonitas et fidelitas Dei cum eiusdem omnipotentia coniuncta (2).

Actus autem in Spe inclusi, sunt desiderium beatitudinis aeternae, firma fiducia ad illam perveniendi, et erectus animus contra occurrentes difficultates (3).

Peccata vero Spei opposita sunt desperatio et praesumptio. Prior est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem, et media ad eam assequendam necessaria. — Posterior vero est inordinata fiducia beatitudinis obtinendae sine mediis a Deo ordinatis.

212. **Principia.** — I. Spes in adultis requiritur de *necessitate mediis* ad iustificationem. Homo enim ad Deum finem suum ultimum consequendum pervenire nequit, nisi propriis actibus in ipsum tendat: hoc autem sine spe fieri non potest. Constat etiam ex Conc. Trid. sess. 6. c. 6.

II. Spes necessaria est etiam *necessitate praecepti*; siquidem datur verum praeceptum eliciendi actus Spei aliquoties in vita. Constat ex propositione 1<sup>a</sup> ab Alexandro VII damnata, quae sic sonat: *Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum Fidei Spei et Charitatis, ex vi praeceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium* (4).

(1) Non excludenda hinc alia beneficia etiam temporalia, quae a Dei bonitate expectamus; quippe et ista promissa a Domino fuerunt (Luc. 12. 31.): *Et haec omnia adiicientur vobis.*

(2) *Spes... innititur... divinae omnipotentiae et misericordiae, per quam etiam qui gratiam non habet, eam consequi potest, ut sic ad vitam aeternam perveniat. De omnipotentia autem Dei et misericordia eius certus est quicumque fidem habet.* S. Thom. (2. 2. q. 18. art. 4. ad 2.). Et rursus idem S. Doctor (*De Virt.* q. 4. art. 1.): *Formale obiectum spei est auxilium divinae potestatis et pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quae sunt materiale obiectum spei.*

(3) *Spes, ut ait S. Thomas (2. 2. q. 17. art. 5. ad 4.), secundum quod est virtus theologica, respicit arduum, alterius auxilio assequendum.* Sed (3. dist. 26.

q. 2. art. 1. ad 2.) *hoc arduum, quod est vita aeterna, excedit facultatem naturae. Ideo (ibid. art. 2. o) oportet, quod ex aliquo dono naturae superaddito fiat inclinatio in illud arduum; et illud donum est habitus spei. In quantum ergo (2. 2. q. 17. art. 1. o) speramus aliquid ut possibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum, cuius auxilio innititur.*

(4) *Cum ipsum praeceptum expresse non determinet tempus, recurrendum videtur ad articulum necessitatis, qui via in proposito potest designari. Sed advertendum, hanc necessitatem posse esse vel per se, vel ex ratione extrinseca: hoc secundo modo obligabit hoc praeceptum, quando fuerit necessarium sperare vel ad debite orandum, vel ad vincendam tentationem, vel ad aliquid simile: in quibus tamen occasionibus*

213. **Quaesita.** **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quot modis committatur peccatum praesumptionis?*

*Resp. Praecipue* 1<sup>o</sup> si praesumas, vitam aeternam propriis viribus obtinere, 2<sup>o</sup> si eam expectes sine labore, ex sola Dei misericordia. — S. Lig. n. 21.

**QUAER.** 2<sup>o</sup> *An possit dari materiae parvitas in peccatis contra Spem?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm.*, quoad praesumptionem, etsi gravis sit ex genere suo.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Dist.*, quoad desperationem: *Neg.*, si sit perfecta et proprie dicta; *secus*, si sit imperfecta, ut saepe in tristitia et impatientia accidit.

214. — **QUAER.** 3<sup>o</sup> *An sit peccatum contra Spem, cupere perpetuo in hoc mundo vivere, aut e contrario ex taedio mortem exoptare?*

*Resp. ad primum: Affirm.*, quia qui illud cupit, sistit in vita temporali, tanquam in fine ultimo. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 20.

*Resp. ad secundum: 1<sup>o</sup>* Non est contra Spem *per se*, quia non est recedere a fine ultimo; 2<sup>o</sup> nec generatim excedit peccatum veniale, nisi adsit rebellio expressa contra ordinem divinae Providentiae.

**QUAER.** 4<sup>o</sup> *An sit praesumptio committere pluries idem peccatum quia tam facile pluries quam semel commissum accusatur?*

*Resp. Neg.*, quia poenitens facilius peccat non ex facilitate veniae obtinendae, sed ex minori difficultate confitendi; quamvis haec sit prava dispositio, Deo maxime iniuriosa. Esset autem peccatum praesumptionis, si quis ideo facilius peccaret, quod tam facile remittantur plura peccata, quam unicum (5). — S. Lig. n. 21.

*saepe non erit necessarium formalem actum spei elicere, sed satis erit in ipso effectu debite id facere, in quo virtualiter includitur spes, ut efficaciter petere, vel dolere de peccato, vel aliquid simile... De necessitate per se... dico, ut de charitate et poenitentia, hoc tempus non posse designari positive et omnino determinate, sed quasi negative et confuse: tenetur enim homo aliquando in vitam spei exercere; quod vero illud sit nunc, vel postea, relinquatur hominis arbitrio.* Suarez, *De Spe* disp. 2. sect. 1. n. 2. 3.

Caeterum monent communiter DD., quoad huius praecepti sufficientem executionem, nullum anxietatibus locum esse dandum. Quippe cum ad illud implendum, sicut et de fide dictum est, sufficiat spes

virtualis, et haec passim exerceatur; hinc vix suspicio esse potest, fideles huic obligationi deesse. Si qui vero illi desunt, cum fere sine advertentia id faciant, res eodem recidit.

(5) Notandum hic, opinionem non raro fidelium menti insidere, gravius fieri peccatum, quod ob spem veniae committatur: quando doctores contra censent, per eam circumstantiam subinde potius peccatum imminui. Ita Suarez, recte id distinguens a peccato praesumptionis (*de Spe* disp. 2. sect. 3. n. 2.): *Licet interdum delinquere ex fragilitate ob spem veniae possit non esse praesumptio, immo aliquantulum minuere peccatum; inde tamen occasionem perseverandi in peccato sumere, quoddam est praesumptionis genus.* Addit tamen (ibid. n. 3.)

215. — **QUAER.** 5<sup>o</sup> *Quaenam sint remedia desperationis?*

*Resp.* Praecipua sunt sequentia: 1<sup>o</sup> consideratio bonitatis et misericordiae infinitae Dei: — 2<sup>o</sup> frequens recordatio eorum hominum, qui post plurima et gravissima peccata veniam consecuti sunt: — 3<sup>o</sup> meditatio parabolae sancti Evangelii, praesertim *ovis perditae*; — 4<sup>o</sup> devotio specialis erga B. Virginem, refugium peccatorum; — 5<sup>o</sup> fiducia in Christum pro nobis cruci affixum, etc.

216. **Regulae practicae.** — *Prima.* Dispiciat Confessarius ex qua potissimum radice desperatio in poenitente oriatur, ut congrua remedia pro diversa causa applicare possit. — Plerumque autem nasci solet proxime ex apprehensione certae damnationis. Remote vero 1<sup>o</sup> ex *acedia*, qua quis media salutis nimis gravia putat, et proinde ab iis adhibendis deterretur; 2<sup>o</sup> ex *luxuria* aut aliis inveteratis peccatis, quae mentem a caelestibus avertunt, et ob difficultatem emendationis ad desperationem adducunt; 3<sup>o</sup> ex *melancholia*, quae inclinatur ad tristitiam, et avertit a fiducia, quae gaudium animi generare solet; 4<sup>o</sup> ex scrupulis, quibus anima deiicitur et opprimitur.

*Secunda.* Poenitentes desperationi dediti a Confessario cum magna circumspectione, prudentia et patientia sunt moderandi, iuxta diversitatem ingeniorum et varium desperationis genus. Alio enim modo dirigendi sunt qui ex malitia, vel ex peccatorum pondere et flagitiosa vita in desperationem acti sunt; alio qui ex pusillanimitate, vel ex diabolica tentatione ad eam impelluntur.

*Tertia.* Non statim prima fronte iudicandi sunt velut desperatione abstracti poenitentes, qui se tales exhibent, praesertim si christiane vivant. Inveniuntur enim animae etiam devotae, quae tentationibus desperationis prope continuis exagitantur; nec facile credendum est, eas peccasse praesertim graviter, quamvis putent se illis consensum praebuisse; sicut nec nimius timor de periculo salutis cum desperatione proprie dieta confundendus est. — Elbel, etc.

in eiusmodi praesumptione levem culpam reperiri posse.

Et haec doctrina est S. Thomae (2. 2. q. 21. art. 2. ad 3.): *Dicendum, quod peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, ad praesumptionem pertinet. Et hoc non diminuit, sed auget peccatum. Peccare autem sub spe veniae quandoque percipiendae cum proposito abstinendi a peccato et poenitendi de peccato, hoc non est praesumptionis, sed hoc peccatum diminuit; quia per hoc videtur habere volunta-*

*tem minus firmatam ad peccandum.* Unde bene Marcus Struggl (*Theol. Moral.* tr. IV. q. 3. n. 17.): *Etiam dum quis vult peccare aut actu peccat, bonum est sperare veniam peccati et proponere postea poenitere.* Caeterum non adesse in praemisso casu peccatum praesumptionis, communiter docent Sanchez (*In Dec.* lib. 2. cap. 35. n. 7.) Bannezium et Metinam allegans, Salmantic. (Tr. 21. cap. 5. n. 56.), Palau (*De Spe* Tract. V. disp. unic. punct. 6.), Bonacina (*De I. Praecept.* q. 3. punct. I. n. 6.), etc.

## CAPUT III.

## DE CHARITATE.

217. — *Charitas* est virtus, qua diligimus Deum tanquam summum bonum propter seipsum (1), et proximum propter Deum. — *Charitas* est omnium virtutum praestantissima, quia Deum modo perfectissimo attingit. Hinc, 1. *Cor.* 13. 13: *Nunc manent Fides, Spes, Charitas, tria haec; maior autem horum est Charitas.*

Obiectum *formale* Charitatis est bonitas divina (2); *materiale* vero primum Deus, secundarium proximus. — S. Lig. n. 22. et seq.

Distinguitur 1<sup>o</sup> *Amor Dei intensive* vel *appretiative* summus; 2<sup>o</sup> *Amor benevolentiae*, qui *proprium bonum amati respicit*; *amor amicitiae*, qui est *amor benevolentiae mutuus*; et *amor concupiscentiae*, qui *intendit primum bonum proprium amantis* (3).

*Agendum* 1<sup>o</sup> de amore Dei, 2<sup>o</sup> de amore proximi.

(1) Quid sibi velit Deum diligere *gratis* et propter seipsum, pluribus in locis explicat S. Augustinus, videlicet ne Deo serviamus, neve ipsum diligamus aut quaeramus propter aliud, idest propter mercedem temporalem, propter mercedem extra ipsum, propter bona ab ipso distincta aut diversa, sed ut ipse sit bonum nostrum, beatitudo nostra, merces nostra. Vid. *De Catech. rud.* cap. 22. n. 39. et cap. 27. n. 56. *De Gen. ad lit.* lib. 8. cap. 11. n. 24. — *Serm.* 91. n. 3. *Serm.* 165. n. 4. et *Serm.* 334. n. 3. — *In Psalm.* 52. n. 10. *in Psalm.* 77. n. 21. et *in Psalm.* 85. n. 8. Haec et alia tum S. Augustini tum aliorum DD. reperies apud Io. Bapt. Faure in egregiis Commentar. ad Enchiridium S. Augustini cap. 7. et 8., et rursus ad cap. 121. 122.

(2) Quaestiones hic quidam movent (Vid. S. Lig. lib. 6. n. 436.), num formale charitatis obiectum sit etiam bonitas, quae in quovis divino attributo, v. gr. misericordiae, iustitiae, sapientiae, etc. elucescit, an vero solum bonitas, quatenus haec omnes Dei perfectiones complectitur: primam autem sententiam exhibent tanquam minus probabilem, et communiter a DD.

reiectam. Verum haec non debentur nisi cuidam aequivocationi. Nam opinio, quae communiter reiecitur, non ea est quam diximus, sed quae contritionem non ex charitatis, sed ex obedientiae, religionis, poenitentiae, etc. motivo elicita, habet ceu *perfectam* atque adeo aptam ad hominem ante susceptionem sacramenti iustificandum. Qua de re vid. Card. De Lugo *De Poenit.* disp. 5. sect. 1., tum etiam quae dicimus in *Tr. de Poenit.* p. 2. c. 1. a. 1. (Vol. 3.).

(3) Cavendum sedulo, ne amor, qui nos in Deum rapit ceu bonum nostrum, tanquam alienus a charitate traducatur. Ratio est, 1<sup>o</sup> Quia homo reipsa non attrahitur nisi bonitate divina, dumque in hoc potius, quam in quovis alio bono, beatitudinis obiectum quaerit, insitus iam apparet amor ille *appretiative summus*, qui proprius est perfectae charitatis, et quo (ut inquit S. Bonaventura 3. dist. 26. art. 3. q. 3.) *Deum concupiscit super omnia.* 2<sup>o</sup> Quia secus ne amor quidem *amicitiae* possibilis foret. Ut enim inquit sanctus Thomas (2. 2. q. 26. art. 13. ad 3.): *Unicuique erit Deus tota ratio diligendi, eo quod*